



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

III. Scriptura[m] & sanctos Patres Maiestatem illam, quàm Christus in tempore accepit, non tantum de donis creatis & qualitatibus finitis intellexisse, sed de ea gloria & Maiestate diuinitatis, quæ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

eundemq; SIMVL DEVM & HOMINEM omnia scire in ipso enim omnes thesauri sapientie & scientie absconditi sunt.

Nicephorus lib. 18. cap. 36. Christus a discipulis in Galilee monte conspicitur, & ibi a Patre summam potestatem cœli & terre Iuxta humanam naturam scilicet, traditam esse confirmat.

III.

*Scripturâ & sanctos Patres Maiestatem illam, quam Christus in tempore accepit, non tantum de donis creatis & qualitatibus finitis intellexisse, sed de ea gloria & Maiestate diuinitatis, quæ Dei propria est, ad quam assumpta illius natura humana in persona filij Dei exaltata est, ita vt efficaciam & operationem diuinae nature, quæ Dei propria est, acceperit.*

Iohan. 17. Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.

Coloss. 2. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Pag. 28.

Hilarius de Trinitate lib. 3. Verbum caro factum orabat, vt id, quod de tempore erat, gloriam eius claritatis, quæ sine tempore est acciperet.

Gregorius Nyssenus, citante Gelasio & Theodoro dialogo 2. de dicto illo Petri

Actor. 2.



Actor. 2. **Dextera Dei exaltatus, &c.** αὐτῆ (ἡ  
 δεξιὰ τοῦ Θεοῦ) ἔνωσέν τε πρὸς αὐτὸν ἄνθρωπον εἰς τὸ  
 ἴδιον αἴμα. ἢ ἴδιον. διὰ τῆς ἐνώσεως. *Tom. 2.  
 pag. 330.* Ipsa dextera  
 VNITVM SIBI HOMINEM in propriam  
 suam euexit celsitudinem seu sublimitatem  
 per vnionem.

Idem de Anima: **DEVS VERBVM** à com-  
 munionē illa, quæ sibi est ad **CORPVS &**  
**ANIMAM**, nunquam alteratur, neque parti-  
 ceptus est imperfectionis illarum, sed **TRA-**  
**DENS EIS SVAE DIVINITATIS VIRTU-**  
**TEM**, manet idem, quod erat & ante vnio-  
 nem.

**Basilius:** εἰς πῦρ ἀγίαν ἢ χεῖρ ἁγίαν: πῦρ  
 τρέπον ἐν σαρκὶ ἢ θεότητι; ὡς τὸ πῦρ ἐν σιδῆρι ἢ με-  
 ταβαπτικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς. ἢ γὰρ ἐκτρέχει τὸ πῦρ  
 πρὸς τὸ σίδηρον, μένον ὅ κατὰ χεῖρα μεταδίδωσιν αὐτῷ  
 τῆς οἰκείας δυνάμεως, ὅπερ ἔτε ἐλατῆται τῆ μεταδο-  
 σι, καὶ ὅλον πληροῖ αὐτῷ τὸ μέτρον. *Pag. 231.*

**Quomodo Deitas est in carne?** sicut ignis  
 in ferro, non transitiuè, sed communicati-  
 uè. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed  
 manens in suo loco communicat seu im-  
 pertit ferro ignito propriam suam faculta-  
 tem (vim seu potentiam) nec communica-  
 tione illa minor fit, sed seipso totum ferrum  
 replet, quod (illa scilicet vnione) particeps  
 est ignis:

**Epiphanius in Ancorato:** συνδυναμῶσας *Fol. 504.*  
 σῶμα γήινον τῆ θεότητι, εἰς μίαν δυνάμιν ἦνωσεν, εἰς  
 μίαν

μίαν



μίας θεότητας συνήγαγεν, εἰς ἓν κύριον, εἰς Χριστὸν ἰδὸν  
Χριστὸν, ἔδὲ δύο θεοὶ, &c.

(Idem Deus, idem Homo) CORPVS TER-  
RENVN VNÀ cum Deitate potens efficiens,  
IN VNAM POTENTIAM VNIVIT, in vnita-  
tem reduxit, vnus existens Dominus, vnus  
Christus, non duo, &c.

Cyrillus in Iohannem lib. 4. cap. 23. Non  
imperitè omnino viuificam carnem esse ne-  
gatis. Nam si sola intelligatur, nihil prorsus  
viuificare potest, quippe quæ viuificante in-  
digeat. Cùm verò incarnationis mysterium  
laudabile scrutati fueritis, & vitam habitan-  
tem in carne cognoueritis, quamuis NIHIL  
PENITVS CARO PER SEIPSAM POSSIT,  
VIVIFICAM TAMEN factam esse credetis.  
Nam quoniam cum viuificante Verbo con-  
iuncta est, tota effecta est viuifica Non enim  
ad corruptibilem suam naturam iunctum  
DEI VERBUM detrahit, sed ipsa ad melioris  
virtutem eleuata est. Quamuis ergo natura  
Carnis, vt Caro est, viuificare nequeat, facit  
tamen hoc, quia TOTAM VERBI OPERA-  
TIONEM SVSCEPIT. Non enim Pauli aut  
Petri aut cæterorum, sed ipsius vitæ corpus,  
in quo Deitatis plenitudo corporaliter ha-  
bitat, facere hoc potest. Quas ob res caro cæ-  
terorum omnium nihil prodest: CHRISTI  
autem CARO, quia in ipsa vnigenitus DEI  
Filius habitat, sola viuificare potest.

Augu-



Augustinus contra Felicianum Arianum  
cap. 11. Iniuria sui corporis affectam non fa-  
teor Deitatem, sicut Maiestate Deitatis glo-  
rificatam nouimus carnem.

Theodoretus cap. de Antichristo; Ver-  
bum homo factum non particularem grati-  
am contulit assumptæ naturæ, sed totam ple-  
nitudinem deitatis complacuit in ipsa habi-  
tare.

Idem in Psalmum 21. Si natura assumpta  
cum diuinitate assumente est copulata, et-  
iam eiusdem gloriæ & honoris particeps &  
consors facta est.

Idem Ebr. 1. Ipsa humanitas post resur-  
rectionem, diuinam gloriam est consecuta.

Damascenus lib. 3. cap. 7. & 15. *ἡ αὐτὴ μὲν (ἡ  
θεῖα φύσις) τῶν οἰκείων ἀρχμάτων τῆ σαρκὶ μεταδί-  
δωσι, μένουσα αὐτῇ ἀπαθής, ἡ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν  
ἀμέτοχος.*

Diuina natura proprias suas excellentias  
seu glorificationes carni communicat seu  
impertit, ipsa verò in se passionum carnis  
manet expers.

V.

*Christum, unam eandemq; Maie-  
statem diuinam, aliter ut Deum, nimirum  
essentialiter & ut essentialem proprietatem, aliter ut  
hominem, videlicet nõ essentialiter, neq; in & secun-  
dum sese, sed pro ratione & modo vnionis  
personalis habere.*

Iii

Iohan.

Tom. 2.  
pag. 411.

Tom. 1.  
pag. 1, 10.

Pag. 194.